



~~Hist.~~
VIII.

W. 10 82

2.3

Q. D. B. V.

DISQVISITIO HISTORICA
DE

FAUSTO

PRÆSTIGIATORE,

QVAM

IN ALMA HAC LEVCOREA

PUBLICO EXAMINI COMMITTUNT

PRÆSES

M. JOH: GEORG:

Neumann /

ET

RESPONDENS

CAROL. CHRISTIANUS Kirchner //

PREZA SAXO,

Die XXIII. Maji. H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ Recusa. ANNO. M. DC. XCIII.



H
D. D. N.
DISQUISITIO HISTORICA
DE

FALSTO

PRESTIGIATORE

QUAM
IN ALMA HAC LENCOREA

PUBLICO EXAMINE COMMITTUNT

P R A E S E S

M. JOH: GEORG:

Seimann

RESPONDENS

CAROL: CHRISTIANUS

FRISA SAKS.

Dr. XIII. Maj. H. J. G.

WITTEBERG

MDCXCVI





I. N. J.

PRÆFATIO.



AUSTI præstigiis Artibusq;

Magis famolissimi hominis Historiam ag-
gredior. Quod negotium tantò quidem sus-
cepi ægrius, quantò majori hæctenus fide
narratio hæc omnium sermonibus trita, edi-
tòque peculiari quodam tractatu literis memoriæque est con-
secrata. Equidem Zosimus, Paganus auctor, cum libro Histo-
riarum tertio ad Persicum bellum ac Nisibis oppugnationem
venisset, supervacaneum sibi videri existimat, rei gestæ nar-
rationem ordinemque exponere, cum peculiaribus illa scri-
ptis jam antè esset consignata. Cujus consilii parum abest
quin & ego ineam rationem, in illo occupatus argumento,
quod nullius quidem, quoad memini, virgulam censoriam,
plerorumque tamen fidem, peculiari quodam libro allexit.
Aliud proinde institutum, alium tractandi modum postulat:
nec enim retexere diffusam Penelopes telam, nec cumulum
adjicere istis commentis animus est, sed ad limam ea revò-
care, quæ cœcum vulgi meruère applausum. Quamobrem
mirari subit, historiam adeò dubiam, in omnes ferè terras di-
persam, tot hominum animos cepisse: illud autem iniquè
tuli, Patriam hanc nostram, ipsamque WITTENBERGAM
tam infauti filii Matrem vulgò nuncupari. Cum proinde pu-
blicis Annalium monumentis destituta sit historia, & Aucto-
ribus

A 2

ribus

ribus quibusdam innixa, privatae saltem gentis memoriã di-
manãrit ad posteros, qui sive pietatis abrepti ardore, sive su-
perstitionis œstro perciti, varios ex ingenio casus affinxerunt:
igitur operæ pretium fuit in suspectam hanc narrationem in-
quirere, adhibitisque, quibus uti licuit, Auctorum testimo-
niis, falsa eruere, ac palmam præbere veritati. Ingens qui-
dem Augiæ stabulum præ oculis est, cui repurgando nunc o-
peram dare constitui: interim tamen rei difficultas ingenii
conatum in iis excusabit, quæ minus ad ungvem & amussim
sunt examinata; Ita enim est; ad mare cui via intercluditur;
amnem ille ac rivulos quærere jubetur. Quod felix igitur
fortunatumque sit, ad negotium me accingam, ac ne obscuri-
tatem gignat orationis perpetuitas, tribus negotium dividam
Capitibus, ut rectè institutã rerum œconomia, ordo suis co-
hæreat partibus, nec confusa res æquè confusã methodo ex-
hibeatur.

CAPUT PRIMUM
DE
Variis Auctorum Sententiis.

§. I.

Sæpè verissima rerum asserta suos patiuntur Ma-
nes, & diversis Scriptorum sententiis obscurantur; Ni-
hil igitur mirum est, extare quasdam narrationes, per se
dubias suspectasque & nullo probatæ fidei monumento suf-
fultas? Perinde enim ut aquæ per areæ planitiem diffusæ, nec
canalibus comprehensæ, facillè dissipantur; ita res gestæ cer-
tis annalium non asservatæ libris, vel expirant penitus, vel fa-
bulosis distrahuntur commentis. Quare colligenda iterum
Historia est, & dispiciendum sedulo, quid lucis sibi ex Aucto-
ribus foeneretur.

Pri-

§. II. Prius verò quàm ceterorum nectamus seriem, Liber de *VITA FACTIS QVE FAUSTI* primum sibi locum vendicat; qui vernaculâ Lingvâ conscriptus, fallor an compilatus quondam est à *Georgio Rudolpho Widemanno*, obscurissimi nominis viro; cujus scripti, sæpè iteratâ editione, iteratæ quoque, magisque & magis auctæ sunt fabulæ: Ut communiter libri, quò arva, laborant fatò; si colantur ab imperitis, sentes alunt ac monstra, quibus evellendis ne Hercules quidem sufficit. *Widemannus* verò Auctor quis fuerit, in tantâ nominum parallelorum copiâ, decernere vix potui; donec virum hoc nomine insignem sub initium superioris seculi vixisse ex *Crusio* (*Part. III. Annal. Sved. p. 369.*) didici, ubi commemoratis quibusdam ejus Scriptis, quæ tamen Bello Rusticano perierint, fatetur, multas ex eodem relationes de Magia se percipisse. Quod si me frustratur nomen, inter vespertiones non quæram diutius: ut enim illi nec mures planè sunt nec aves; ita hic forsan nec rudis omnino fuit, sic enim nihil scripsisset; nec eruditus, secus fortè molitus esset meliora: Lucem igitur non meruit, qui luce scripsit indigna. Interim exstat liber ac paucis abhinc annis *D. Pfitzeri* curâ, Norinbergæ denuò ingenti monitorum Moralium cumulo refertus prodit: cui quidem editioni aliquam auctoritatis speciem facit, quod ad Autographum ipsum vetustiori quadam Bibliotheca conservatum provocatur: *Plazii* quoque Theologi, qui *Treatatu de Spectris & Lemuribus olim* inclaruit, nomen præfigitur: Sed quid de illis habendum sit, sequenti oratione exponemus, nunc recensendis Auctoribus operam daturi.

§. III. In tanta verò Scriptorum penuriâ neminem facile *Jobanne Manlio* priorem deprehendes; qui cum ex relationibus saltem, doctorumque virorum sermonibus *Collectanea* sua testetur se confecisse, non nullius illa erroris arguuntur. Si tamen ex ramentis aurum colligatur, procul dubio

occurrent, quibus lucem aliquam presenti rei accensum iri confido. *Faustum* igitur *Scholasticum Cracoviensem* vocat, & *Kundlingâ* (hodiè *Knitlinga*) quod exiguum *Sveviæ* oppidum est, oriundum; audiatur ipse hæc edisserens: *Novi quendam nomine Faustum de Kundling: quod est parvum oppidum Patriæ meæ vicinum; Hic cum esset Scholasticus Cracoviensis, ibi magiam didicerat, sicut ibi olim fuit ejus magnus usus, & ibidem fuerunt publicæ ejusdem artis professiones. (In Collectan. Basil, edit. 1600. p. 38.)* Ergò & cognitus *Manlio* videtur fuisse hic magus, & conterranei civisque loco habitus. Neque aliter facinora ejus recenset ac si ætate illa essent perpetrata. *Vagabatur passim, dicebat arcana multa: Venetiis cum vellet ostendere spectaculum, dixit se volaturum in caelum; Diabolus igitur subvexit eum: & affixit ad eò, ut allisus humi penè examinatus esset, sed tamen non est mortuus. Quam narrationem in Historia vitæ non reperio, ut vel hinc Auctor alicujus nævi argui possit. Ceterùm non hic locorum, sed in pago Ducatus *Wirttembergensis* extinctum commemorat; *Wittenbergam* verò nostram semel invisisse, haud abnuat; *Hic Faustus*, inquit, *in hoc oppido Wittenberga evasit, cum optimus Princeps Dux Johannes dedisset mandata de illo capiendo; &c.**

§. IV. Quibus prætereà indulget relationibus hic Auctor, iis discutiendis operam dabo alibi: exponam illa, quæ *Andreas Hondorffius* superioris seculi Ecclesiastes memoriæ reliquit; cujus tamen an pietatis major cura fuerit, vel veritatis in colligendis Historiis, incertum relinquo. Antiquitate sane cum priori aliisque certat, quoniam elapso jam ævo Anno LXXV. lucem publicam vidit ipsius *Promptuarium Exemplorum*; in quo *Manlii* secutus sententiam, *Faustum*, ait, *Wittenbergam* se contulisse, sed edicto Principis, de vinculis ipsi injiciendis promulgatò, evasisse rursus. (*Vide ejus Prompt. Exemplor. ad II. Præc. p. 167.*) Idem etiam fugam exponit, quæ *Norin-*

Norinbergæ salutis suæ consulisse dicitur; recenserem textum nisi cum verbis Manlianis omnia conspirarent.

§. V. Ad *Jobannem Wierum* me confero, qui cum Cornelio Agrippæ homini magicis superstitionibus infami, operam in pueritia navasset, adeò erga Præceptorem optimè de se meritum gratus extitit, ut opus illud, quod diu post Agrippæ mortem de præstigijs hujus scientiæ vanitate luculentum edidit, ea occasione publicasse credatur: quod *Tbuani* penè verbis refero, qui prolixam ipsi dicam scribit (*Lib. XCI. Hist. ad A. 1588.* Equidem à quibusdam hujus criminis exferte accusatur, & si *Crespeto*, credimus, (*Discursu III. de Satanae odio*) ob magiæ crimen pœnam mortis dicitur fugisse. Interim non desunt Apologiæ, quibus defenditur, extantque non modò clara doctrinæ ipsius testimonia, sed doctorum quoque, *Caroli Galili Theologi*, pariter & *Bartoli Richii Jcti*, aliorumque non spernenda judicia, quibus meritò assentimur. (*Vid. Epistolas Wieri, Tr. annexas p. 687. & 690.*) De *Fausto*, cujus gratia hic adducitur, non tam artes magicas refert, quam imposturas; existimatque, quod inani jactantia & pollicitationibus non nihil effecerit, fallendi alioquin ac imponendi peritus. Ceterùm, quam alii reticent, ipsammet epocham quoque figere ausus est *Wierus*, ætate inque designare, quæ vixisse nauci homo perhibetur. *Jobannes Faustus*, inquit, ex *Kunaling oppidulo oriundus, Cracovia magiam ubi olim docebatur palam, didicit, eamque paucis annis ante quadragesimum supra sesquimillesimum cum multorum admiratione mendacijs & fraude multifaria in diversis Germania locis exercuit.* De fraudibus, quarum meminit, non est, quod differam; tam svavi enim colore nigras ejusdem artes illevit, ut, qui magiam maxime calluit, magi nomine videatur indignus.

§. VI. Neque dissimile apponit *Symbolum Conradus Gesnerus Polyhistor non minus ac Medicus insignis, stupendæque*

vir eruditionis, ut *Ghilinus* judicat (*Theatr. Lit. vol. 1 pag. 40.*) Is proinde in *Onomastico* suo *Faustum* hunc, censu vagantium Scholasticorum habet, similemque facit *Paracelso* aliisque id genus necromantis. Sed quemadmodum de *Paracelso*, quem Spiritus familiaris insimulant, doctissimi quique dubitarunt; ita ingens est postulatum an magus hic impostoribus istis ac nugivendis queat annumerari, quippe qui non tam commercio cum Satana inito, quam fallaciis & beneficâ ut vocant, magia utebantur, uti celeberrimus *Dn. Thomasius* evicit (*Disp. de Vag. Scholasto § 28 & c.*)

§. VII. Ceterum serie hac excludendus non est *Philippus Camerarius*, maximæ doctrinæ Auctor, quam tamen non æquè solidam atque curiosam in *Horis*, ut vocat, *Succisvis*, exhibuit. Quod *Fausti* spectat historiam, eadem cum *Manlio* ceterisque oberrat chordâ; abreptusque variis vulgi relationibus, neminem ex plebe ait reperiri, qui non aliquod *Faustinae* artis documentum commemorare possit. De obitu *Fausti*, quæ affert, ex *Viero* depromsit, unico saltim præstigiarum addito specimine, quod dum omisit *Historia Vita*, brevissimis ego verbis repetam, ne prorsus nihil fabulis videar adjecisse. Nimirum cum apud quosdam divertisset *Faustus*, petierunt ab eo, ut aliquod suæ artis specimen exhiberet: quod cum diu recusasset, tandem importunitate sodalitiî commotus promisit se præstiturum, quodcumque expeterent. Unanimi igitur consensu flagitarunt, ut vitem uvis prægnantem repræsentaret in mensa. Assensit *Faustus* & pollicitus est jam eadem conspectum iri, sed hac conditione, ut omnes alto silentio expectarent, donec illos juberet uvas decerpere. Omnes se legi obtemperaturos recipiunt. Mox infamis artifex ludibriis suis ebriæ huic turbæ ita oculos & sensus præstrinxit, ut illis tot uvarum apparerent, quot ipsorum adessent. Rei itaque novitate cupidi sumptis suis cultellis expectabant, ut eos jubere-

ret rescindere uvas, tandem cum aliquamdiu suspensos in vanissimo errore tenuisset Faustus: evanescent vites & in fumum abeunt. Illa nebulâ magicâ jam dispulsâ, visi sunt singuli suum quisque tenere nasum, apposito cultello jamjam pro uvâ secandum, quod si quis immemor præcepti aut contemptor, injussus uvas secare voluisset, seipsum nasû mutilasset. (*Vid. Camerar. Hor. Succif. cent. 1. p. 314.*) Quam narrationem in *Diebus* quas vocat, *Canicularibus* iterum repetit Simon Majolus (*Tom. 2. coll. 3. p. 602.*) Sed cum primi saltem Tomi Auctor habeatur *Majolus*, allegandus erat *Georgius Draudius*, cui reliquorum cura adscribitur. *Drexelius* etiam commemorationem hanc ceu fide non indignam *Collectaneis* suis inseruit, literisque (*in Aurifodinâ P. II. c. 8.*) denuò consecravit.

§. VIII *Fermè Martinum Delrionem* prætermissem, fidissimum rerum magicarum commentatorem. Hic enim, quod nemo hactenus docuit, Faustum hunc & Agrippam veluti socios adducit; relationibus autem edoctus (*Disq. Mag. l. 2. q. 11.*) *Sic fert fama* inquit, *Faustum & Agrippam magos; cum iter facerent, solitos nummos ad oculum sinceros in diversoriis numerare quos qui receperant, post pauculos dies cornuum frustra vel scrutata vitissima reperiebant.* Quod si ita est, miror equidem, nec in quoquam vitæ Agrippinæ scriptore, nec in Epistolis, quas de vario argumento scripsit, vel minimum hujus rei vestigium conspici. Ætatem sanè, si *VVieri* annos numeramus, parem uterque habuisse videtur, nec desunt, qui Agrippam ex Fausto artes quasdam magicas didicisse, existimant; sed nodus hic eò usque Gordius est, donec gladium cujusdam Alexandri experiatur.

§. IX. At enim, qui tam malè omnibus audit; quendam tamen habuit famæ suæ defensorem. *Meigerus* enim (*in Nucleo Historico Lib. 7 c. 18.*) quandam Fausti artem recitans, nequam hunc hominem; *probum piûmqve filium appellat*: quod si ve
B animi

animi sententia pronunciet, sive *ναλ' αβ'ι Φεασι* intelligat, risu certè dignum est; quem enim fortuna nigrum pinxit, hunc nulla quod ajunt, ætas dealbabit. *Meigeri* verò libros multæ labis insimularem, nisi clarissimum simul nomen *Matthæi Dresseri* insignis Historici læderetur, ex cujus recensione miror illos tam incautè prodiisse.

§. X. Novum Sybillæ folium recitat *Gabriel Naudæus Parisinus*, maximi quondam nominis Philologus pariter atque Medicus. Hic singulari quodam tractatu Anno 1625 edito, *Apologiam* illorum suscepit, qui magicæ artis suspicione fuerunt infames. Sic *cap. 1.* egregia quædam monita præmisit, docuitq; scriptoribus promiscuè fidem tribuendam non esse, cum magni sæpè Politici & admiranda quorundam ingenia ac studia præsertim Mathematica magicæ infamiâ fuerunt notata. Ac proinde hoc vitio liberat, non modò ex antiquis *Zoroastrum, Plotinum, Jamblichium*, sed ex recentibus quoque *Agrippam, Tritemium, Michaelem Scotum*, ac denique *Jobannem Faustum*, cujus Historiam in Germania ortam, non aliò, quàm fabulæ loco habet, suâque lingvâ non ineleganter appellat, *Roman Magicæ*, hoc potissimum fundamento nixus, quod à multis quidem scriptoribus Dæmonologicis, ut sunt *Delrio, VVierus*, aliique: nullo autem probatæ fidei Historico res Fausti commemorantur. Sed an calculum à reliquis accepturus sit, sequentibus demum capitibus dispiciemus.

§. XI. Interim hoc consiliò adducti eruditiores, fluctuare animo cœperunt, ac in dubium vocare hanc Fausti Historiam. Quid enim? si vana ejusmodi scripta applausum nanciscerentur, verendum esset, ne sub tanta fabularum mole omnium Historiæ veritas animam ageret. Quò quidem nimis confidenter positò multorum ingenia laborârunt in fabulæ origine rectè inquirenda. Aliqui hoc *Fausti* nomen fictum ajunt, & homini cuidam mago inditum, ob faustum in rebus
per.

peractu difficillimis successum. Alii à *Fausti Socini* nomen aliquam sed levem originis ansam petunt; hic enim cum in Polonia (ubi vixisse magus noster perhibetur) *Photinianismum* spargeret, literisque & artibus rudiori genti esset miraculo, magiæ infamiâ dicitur laborasse, unde conjectura est abjecto cognomine *Socini*, nomen *Fausti* increbuisse, videlicet more vulgi introductum erat, ut crebriori quondam sermone *Martini*, quàm *Lutheri*, & *Philippi* potius, quàm *Melanchthonis* nomen appellaretur. Sed cum jamdudum ante *Socini* ætatem hæc narratio orta sit, sponte sua corruunt ista, nec operæ pretium est refellendis iis immorari. Sanè ex nominum multitudine non debet surgere confusio, cum plura hujusmodi & clara quidem nomina, non recentes solum, sed antiquæ Historiæ loquantur. *Quin & Raphael Volateranum* infinitæ lectionis virum, ut *Jovio* vocatur (in *Elogiis* p. 131.) integrum *Faustorum* catalogum ferunt texuisse, cujus libri, utut me fugerit conspectus, procul dubio tamen *Faustos*, doctissimos Italiæ viros percensuit.

§. XII. Denique erroris arguendi sunt, qui *Joh.* hunc *Faustum* alio nomine *Johannem Teutonicum* appellari existimant, quippe quem ægrè prodigiosa arte novimus inclaruisse. Sed *Teutonicus* iste Patre natus Presbytero ad *Halberstadensem* Canonicatum fuit evectus, adeoque nihil affinitatis, quod cum *Fausto* intercedat, præ se ferre potest. (*Vid. Wolff. Lect. Memorab. Tom. II. p. 434.*) Ne verò moras nec tam ulteriores, uno fasce complectar reliquos, qui vel allegando saltem, vel commemorando, aliquam *Fausti* fecere mentionem: ut *Gisbertus Voetius Part. 3. select. Disp. p. 539.* Clarissimus *Dn. Thomasius* in *Disp. de Schol. Vagab. § 28. Freudius in Casual. de mag. p. 265.* & qui agmen claudat *Zeilerus in Chron. Sæviæ p. 564.* Plures quidem hac de re consului, sed cum præter nomen nihil traderent, allegandis iis abstinendum duxi.

CAPUT SECUNDUM.

*Examen Vitæ Factorumque Fausti
exhibens.*

§. I.

Magnam hætenus Scriptorum nubem conspeximus, quæ, ut omnes de *Fausto* commemorationes inficiemur, non permittit. Nunc in eo versatur cura, ut disjecta fabularum mole, Historiam hanc suis denudatam figmentis tradamus. Equidem humana illud lege sancitum, ut, cujus pater æquè, ac patria in dubio est, spurius ille abjectique generis haberetur: forsan & hic *Faustus*, qui Patriam nemini satis cognitam, patremque maximè dubium habet, suppositivius videri possit, & non nisi ex ingenio fabuloso esse prognatus. Ast retulit tamen natales ipsius *Manlius* (*collect. p. 38.*) dum *Kundlingam* Sueviæ oppidum, illi patriam assignat. Ponamus igitur tantisper, vixisse quendam magum, sive hoc *Fausti*, sive alio nomine infamem, attestantibus illud tam locupletibus undiquaque auctoribus; Interim *Historia* illius tantis referta est figmentis, totque fabulis inquinata, ut vitam ejusmodi hominis ad historiam non crediderim suffecisse, nisi fabularum architectum nacta esset scriptorem.

§. II. Vitam proinde *Fausti*, ut expiscemur penitus; tres ejus numerantur patriæ: *Kundlinga* quidem ut *Manlius* ceterique asserunt; *Roda* dein, vicus terræ *Vinariensis*, si *Widemann* credimus; *Soltvedelia* denique Principatûs *Anhaltini* oppidum, quod *Historia Fausti* Autographum testatur. At caveamus verò, ne palpum nobis obtrudat *Fabula* Scriptor, cum dubium non sit, quin fidem sibi præ illo vendicent Auctores supra commemorati. *Manlius* certè, ut in quibusdam vacillet, in hoc prorsus fallere non potest, quando patriam.

Eau-

Fausti ita recenset, ut & novisse hominem se testetur, & *Kundlingam* ubi natus est, *oppidum patriae suae vicinum appellet.* (*Collect. p. 38.*) Non dicam de unanimi ceterorum Auctorum consensu, qui si vel maxime Historici nomen non mereantur; *Fabula* tamen *Scriptori* ideò palmam præripiunt, quia *fiectam Historiam* (*Roman* dicunt) descripturi, patriam vel omittunt planè, vel ob noxam veritatis speciem, aliam prætexunt. *Autographum*, quod attinet, non inficias iverim extare; sed num Fausti jussu consignatum sit, quod ajunt, ne probabile quidem videtur. Quid? quod multis commissum erroribus, & eo saltem fine confectum dicitur, ut exemplum esset improbis atque maleferiatis semper extimescendum (*videatur Prefatio Historiae Fausti.*)

§. XIII. Ceterum ut vagabunda fuit Magi vita sit *Ingolstadensem* Academiam dicitur invisisse (*Hist. Faust. P. I. c. 1.*) quod ut nullus Auctorum confirmet, in dubium tamen non vocabo, cum circa id tempus Academiam hanc egregiis studiis floruisse, celebribusque abundasse viris pervasus sum (*vid. Erasmi, Roter. Lib. II. Epit. 17. p. 121. Edit. Lond.*)

§. IV. De *Wittenbergâ* verò, quod fingit *Historia Fausti*, eo nihil fabulosius esse arbitror. Nominis enim errore adductus Auctor impegit, ut, si *Wirtenbergensis* civitas appellanda fuit, ob evidentem vocum affinitatem *Wittenbergæ* nomen allegaret. Unius saltem mendii convincam illum, ut ex eo corrigantur reliqua. Videlicet (*Part. I. c. 6.*) convocatis quibusdam sociis in sylvam quandam urbi vicinam, quam *Spesfart* dicunt, Faustus perhibetur commigrasse. Ast nusquam terrarum hic locus eo nomine celebris est, nisi in Ducatu *Wirtenbergensi*, quorsum an præstigiatarum causâ exire consueverit Faustus, illi dignentur exponere, qui in patriâ istâ se profitentur cives. Obvertunt tamen quendam Fausti patruelem, civem nostræ urbis & incolam, cujus gratiâ hic degisse, a quo

susceptus & in filium adoptatus esse memoratur (*Part. I. c. 1*)
Quod num de Wirtenberga capiendum sit, litem non facio
meam, illud ex communi curiæ hujus catalogo edoctus, ne-
minem olim hoc nomine insignem, civium numero fuisse
adscriptum.

§. V. Video nobis contradicere Manlium, qui non tam
latinè quàm audacter: *Hic Faustus, inquit, in hoc oppido Wit-*
tenberga evasit, cum optimus Princeps Dux Johannes dedisset
mandata de illo capiendo. Sanè in eandem ætatem *Wierus* (*de*
Præstig. Dam p. 142.) Fausti retulit vitam qua JOHANNES Sax.
Electoꝝ, quem glorioso cognomine Constantem vocant, fa-
sces tenuit. Neque fidem superat, quin, cum Norinbergæ, Ve-
netiis, & Lipsiæ sit conspectus, Wittenbergam quoque semel
inviserit: simul ac tamen mandato Electorali finibus ac terris
hisce prohibitus est, fugam cepisse, non autem fixam tenuisse
sedem judicatur. Testor *Commensales Lutheri sermones*, ad
omnes Melanchthonis libros, ejusque *Generum Peucerum*
provoco, quorum silentium mihi facundi instar testimonii
habetur. Et Peucerus quidem, quem *Thuanus* omni scientia-
rum cognitione clarum vocat, tantò minus hanc Fausti histo-
riam reticere debebat, quanto majori curâ & labore suos de
Divinatione & Magia Commentarios confecit.

§. VI. Dum facta Magi conficta persequor, de Maximili-
ano I. aliquod occurrit commentum, cujus prolixitatem
Germanicò stylo constantem, redigam in compendium. Impe-
rator aliquando *Oeniponte*, quæ Archiducum sedes est, animi
causa commoratus, *Faustum*, cujus jam tum fama inter auli-
cos infamis erat, accersere ad se jubet. Hic ut aliquod artis
suae specimen exhiberet, rogatus; abnuvit initio, sed certus de
Imperatoris clementia pollicetur. Quid verò? Magnum illum
Macedonum Regem annuit spectare, gestitque Cæsar: Quò
cognitò Faustus, dum conclavi præsulum scivit Imperatorem;
sine

sine morâ excitatum ab inferis Alexandrum M. produxit, tali quidem specie, qualem ab Historicis descriptam esse fatebatur Cæsar. Artificem igitur, gratiâ donisque præditum dicitur dimisisse. (*Hist. Faust. II. c. 10.*) En nugas! *Job. Trittbemium Abbatem*, quem *VVierus* æquè ac *Bodinus* magiæ accusant, hoc præstitisse ferunt; quî ergò Fausto adscribitur? *Maximil.* verò *Imperator* tantum abest, ut à quoquam scriptore hanc temeritatem dicatur incurrisse, ut, potius *Cuspiniani* elogio (*de Imp. Rom. p. 494.*) *Princeps religiosissimus* *Jovii* verò encomio: integræ pietatis & incomparabilis virtutis heros, appellitetur. (*Elog. c. 5. p. 155.*) Extant certè præter scriptum quod *Theuerdanck* vocant, alibi quoque *Maximiliani Res gestæ* *Anonymi* (*Ingolstadt. ed. 1631.*) in quo multa promiscuè recensentur; Hujus verò fabulæ nec vola extat nec vestigium.

§. VIII. Neque pluris momenti est, quæ de eodem Imperatore vulgo innotuit historia; Cæsar enim somnò aliquando sopitus manè cum elevaret oculos, conclave suum, Fausti artibus ita vidit extractum, ut omnia florum, arborumque & herbarum genera, suavissimos avium cantus & nihil non deliciarum repræsentaret. (*Hist. Faust. L. II. c. 11.*) Sed istud ex *Alberti Magni* cui idem scelus exprobrant, historia est surreptū. *Wilhelmus* enim *Imperator* cum *Anno 1260. Aquisgrani* coronatus aulam repeteret suam; *Monachus* hic in honorem novi Cæsaris, nescio quid viridarii, hyberno tempore molitus, cum vulgi excederet fidem, *Necromantæ* nomen reportavit. Sed *Svevus* erat hic *Albertus*; *Svevus* itidem *Widemannus Historiæ F. auctor*; hinc fabulis ipsi deficientibus exteris, collegit quasdam in patriâ sua exortas.

§. IX. Cetera mihi bilem, hoc fermè risum movit, quando rustico cuidam plaustrum fœni plenum vehenti obviam factus esse magus dicitur. In itâ proinde solvendi pretii ratione *Faustus* integram fœni molem ingurgitavit. (*P. I. c. 42.*) Sed
com-

commemoratio hæc alii cuidam Monacho in *Colloquiis D. Lu-*
tberi allegato, adscribitur: ergò sub Faustii nomine vendita,
neutiquam ab eo peracta est fabula; Quinimò de *Zytbone* Bo-
hemo quodam præstigiatore, eandem ferè narrationem ex
Dubravio repetit *Camerarius*, (*Hor. Succis. Cent. 1 p. 314.*) additò
non ineleganti Epiphonemate: eadem *Ludibria*, quæ modo de
Bobemo magno diximus, *Fausto* adscribuntur. Ita quidem, de-
licta non minus ac virtutes, alieno sæpè nomine inclarescunt.

§ X. Denique de cane, assiduo itinerum comite Faustii,
quæ memorantur; (*P. 1. c. 25.*) ad *Cornelii Agrippæ* vitam perti-
nent. Hunc enim *Necromantiæ* suspitione velut infamem
execrant nonnulli: quod *cacodæmonem nigri canis* specie cir-
cumduxisse existimetur. Auctor hujus rei est *Paulus Jovius*, (*in*
Elog. p. 121.) *Cum propinqua morte*, inquit, *ad pœnitentiam urge-*
retur, cani collare loreum, magicis per cradorum emblemata in-
scriptum notis, exsolvit, in hac suprema verba iratè prorumpens:
Abi perdit a bestia, quæ me totum perdidisti: nec usquam fami-
liaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, Et tum
morientis domini desertor, postea conspectus est, quum precipiti
fuge saltu in Ararim se immerisisset, nec enatasse, ab his, qui id
vidisse afferebant, existimetur. Quæ cum historia Faustii ex asse,
quod ajunt & amussi congruunt.

§ XI. Sed istud de *Agrippa* assertum dubio non uno la-
borat. *Jovius* enim tantæ auctoritatis non est, quin à *Delrione*
(*Disqv. Mag. L. IV. c. 2 p. 586.*) *Scriptor nimix superstitionis ap-*
pelletur. Certè Vierus partes *Præceptoris* sui tam gnaviter tu-
etur, ut meras nugas vocet, aliorum de *Agrippa* sententias ex
invidiâ potissimum subortas. (*de Prestig. Demon. l. 2. c. 5.*) *Nau-*
deus etiam non nisi singulari ejus doctrinæ hanc *Magiæ* suspi-
cionem refert acceptam. (*in Apologia c. 15.*) Interim omni re-
prehensione liberandus non est, uti meritò in ipsum invehi-
tur *Claudius Mimos* (*in Notis ad Embl. Alciatis p. 63*) Et vanus
pro-

profectò de *Scientiarum Vanitate* Liber est, in quo novitatis suæ argumenta sacris etiam literis confirmare nititur: quasi feliciori opere tantas ingenii opes ostentare nequiverit, nisi vir educatus in literis & à Cæsare eruditionis ergò equestris ordinis dignitate ornatus, importunos arietes Eloquentiæ, æternis optimarum literarum arcibus admovisset. Quicquid verò sit, quantum ex epistola ejus vigesima conjicio (*L. 6. Epistol. Agrippæ p. 300.*) videtur Satyricâ saltem Mimesi vitia docentium exagitare, aut certè in re ludicrâ ingenium exercere voluisse.

§. XII. Quam infamiæ notam *Corn. Agrippæ* ob insignem eruditionem tribuunt; eam pari fato *Sylvester II. Pontifex* vulgò subiisse videtur, quippe qui à *Szgedino* (*Specul. Pont. p. 84.*) *Naclero*, *Sigeberto*, aliisque Magiæ & pacti cum Diabolo initi reus peragitur. Nobis verò non alius quàm vir rerum *naturalium & moralium* peritus fuisse creditur, unde in sinistram hanc suspicionem facilè potuit adduci. Is enim temporum illorum stupor erat, ut singularem quamvis doctrinam crederent naturæ viribus majorem, eoque divinam aut diabolicam, prout affectus illud suppeditabat (*Vid. Defensionem Sylvestri in Boxhorn. Hist. univ. p. 416.*)

§. XIII. Sed ne extra oleas feramur, *Gisbertus Voetius* (*Disp. Select. T. III. p. 548*) utramque de magiâ paginam facturus, non potuit hujus *Fausti* non meminisse. Pactum verò magicum distingvit ille in *occultum & expressum*: hujus reum se fecisse *Faustum* existimat, quòd & apertè initum, & solenni scriptione instrumenti, signo denique stigmatico cuidam corporis parti impresso, fuerit confirmatum. Cujus nunc ideò recordari juvat, ut *Gesneri l. c.* pariter & *Wieri* sententiæ renunciem, qui *Faustum* nostrum Doctorem in *Vagantium Scholasticorum* classem referunt. Esto autem, ambulatoriam ejus vitam fuisse, quin & *Cingarorum* consuetudine, ut *Chiro-mantiam* edoceretur, usum esse: magiam tamen quam illi co-

C

luere

In ère fallacem, hic scelestiori longè schemate, cum verus es-
set incantator, exercuit.

§. XIV. Nimis autem flocci pendet Fausti præstigias *Wierus*, quando inanem saltem jactantiam & fraudes nuncupat ejusdem facinora. Sanè si illustriorum virorum familiaritate exclusus non fuit homuncio; albo videtur potiùs, quàm atro carbone notandus. Istud autem non modò *Historia vita* satis superque refert, sed *Wierus* ipse: *hic scelestus*, inquit, *captus Bartolburgi in Mosæ ripâ ad Geldria fines, Barone Hermannò absente, mitius ab ejus Sacellano D. Jobanne Forstenio tractabatur, quod huic viro bono nec callido, plurium rerum cognitionem artesque varias polliceretur, (de Præstig. L. II. p. 143.)* At sustulit hanc litem & ad vivum refecuit *Cl. Thomafius (Disp. Vag. Schol. §. 145.)* Quin etiam *Wierus*, sui oblitus, tale de Fausto recitat iniquioris magiæ documentum: *Undimoderator apud Goslarrienses ex Fausti magi, vel verius infausti mali doctrinâ instructus, modum quo carminibus in vitro coereretur Satan, didicit. Ut itaq; impediretur à nemine, die quodam in sylvam abiit: ubi in magica execratione aberranti apparuit demon, horrenda admodum forma, oculis flammeis, naribus ad cornu bubuli mortem intortis, oblongis dentibus aprinis non dissimilibus, genis felem referentibus, & in universum terribilis. Hoc idolo terrefactus hic prosternitur, jacetq; horas aliquot semimortuus. Sic nemo Faustum hoc crimine absolvit minus, quàm qui maximè absolute illum conatur.*

§. XV. Sed istis diutius immorari consilium non est; *Doctoris* saltem in titulo, quem in Medicâ Facultate dicitur adeptus, spoliari debet Præstigiator. Rectè proinde id omni contentione negat *Freundius (Casual. de Mag. p. 265.)* nec persuaderi potest, hominem in suspectis scholis educatum, tamq; nefariis artibus nullibi non infamem, ad tantum decus, quod tum distributum rariùs, evehi potuisse; cum nec locus designetur, nec offerendi occasio. Fortè tamen eò more adhæsit ipsi

ipsi nomen, quò Agyrtis & id genus impostoribus, qui cum Medicinam vel faciant, vel facere se jactitent, Doctoris nomen vulgò sortiuntur.

CAPUT TERTIUM.

Veram de Historia Sententiam complectens.

§. I.

EXtremam nunc Orationis partem absolvo, quã rem aliorum judiciò perpensam explicatamq; meã nunc animi trutina ponderabo. Et Auctores verò quod spectat, qui palmam in hoc negotio sibi tribuunt, non alio videntur loco ac numero habendi, quàm qui ab Historicis prorsus distinguuntur. Neq; enim ad consignanda magorum facta facile se accinget Historiarum scriptor, nisi apertis minimeqve dubiis fundamentis fuerit innixus. Vendicat sibi hanc immunitatem pietas, ut animos demulcendi causã quidvis enarret fingatq;: Historia verò supremam sibi legem posuit veritatem. Quare si *Domitium* Sec. XV. Scriptorem, quòd veris fabulosa commisceret, *Politianus*, ceu *foveam viatoribus* ostendere solitus est, (*Vid. L. III. Epist. 19.*) quidni scriptum istud de Fausto integrã fabularum mole refertum, aliis quoque non ut *foveam* modò, sed ut *scyllam & charybdim* ostendamus.

§. II. Verùm satis ostensum illud à *Naudeo* est, cujus in quibusdam premo vestigia, in multis pedem retraho; nonnullos enim & scelestiores quidem *Necromantas* cum defensum ivit; æthiopem videtur lavasse, adeoq; de Paradoxis ejusmodi *Apologiis* non aliter judico, quàm de laudibus *Neronis* à *Curdano* decantatis, aut doctorum virorum encomiis *Morie*, *Calvitiei*, *febris quartanae*, *cæcitatibus*, *pediculi*, quin & ipsius *Diaboli* in Oratione *Wittenbergæ* à quodam *Brunone* Italo habitata; teste, sed in hoc, deceptore *Voetio* (*P. III. sel. Diss. p. 615.*) Interim tamen *Naudeus* emunctæ naris est, qui vitam Fausti nec fabulam planè nec Historiam, sed verbò ab utraq; parte paulum

lum discedente: *Roman Magique*, Gallicâ lingvâ vocat (*in Apol. c. 15. p. 419.*) Quod vocabulum cum magnâ gaudeat emphasi, doleo Romanæ facundiæ esse ignotum, forsan *narrationem* dixeris *scenicam*, *mutatis circumstantiis confictam*, de personâ artibus quidem magicis celebri, sed *accedentibus sive Fabulis sive Historiis celebriori*. Cui proinde nostrummet calculum, salvo aliorum iudicio adjungimus.

§. III. Fabulæ ergò nomine insigniri prorsus non debet. Quis enim in dubium vocabit communem adeò constantemque Germaniæ notitiam? *Αὐτόπτης* est *Manlius*, qui novisse se Johannem hunc Faustum asseverat; *Camerarius* audita loquitur, *Wierus* ex amico, Fausti ludibriis deceptô facinora accepit (*p. 143.*) Quid, quod propria *Svevorum* confessio hic militat, qui quoties *Kundlingam* patriæ terræ oppidum indicant, nunquam non *Fausti vitam* reddunt notabilem *vid. Contr. Dietr. conc. 16. in Ecclesiast. p. 237.* Neq; tamen *Historiam* quis vocabit hanc Fausti vitam; nisi fortè cui *Historiæ* majestas ignota est. Nulli enim annales, qui per singulas etiam decurias facta vel levissima loquuntur; nulla monumenta, quorum fides probata est, hujus vel minimam produnt mentionem. Quid ita? nimirum, anteqvam innotuit Faustus, obscuritas ejus obstiruit, quò minus calamo Historici videretur dignus; cum verò increbuisse, nimius fabularum cumulus deterruit Scriptores. Poterat *Sleidanus* aliquid retulisse, qui & relationibus non nihil indulgit, *Tbuano* teste, & totius Germaniæ res gestas bene calluit, quin & multa consignavit longè infra hujus dignitatem posita; sed *Fausti*, quoad mihi constat, ne nomen quidem reliquit. Poterat *Tbuanus* quoque non prorsum nihil narrare, quippe cui famosus ille præstigiator *David Georgius Batavus* prolixâ narratione non indignus fuit *Hist. L. XXII. p. 427.* quiq; de prodigiis & ostentis multa *L. XXVII. p. 524.* simul & de Spectro Pragensi *Lib. L. p. 663.* mira & fidem superantia
recen.

recenset. Ast reliquis narrationibus fortè aliquem; huic nul-
lum præbuit assensum.

§ IV. Ita quidem ne in alieno choro pedem viderentur
ponere Historici; *Demonologicis* minusque seriis scriptoribus
talia commiserunt. Ast verò & illorum nonnulli, suspensâ
quod ajunt, manu hoc tractârunt negotium. *Bodinus* certè,
sive ut Historici nomen tueretur, sive magis ardua deperiret;
in *Demonomaniâ* suâ de Fausti dæmone prorsus conticescit.
Neque credam in *Rerum sublimium Arcanis*, ut vocatur liber
nondum satis editus, quicquam illius repertum iri; perinde
ac in *Rerum Subtilitate* Scaliger pariter & Cardanus altum hic
premunt silentium. At *Casparum* quidem *Peucerum*,¹ cujus
supra laudes attigi, siccò pede hæc transisse; tanto magis mi-
ror, quanto diligentius de *Divinatione* libros enucleavit; for-
san satius arbitratus negligere dubia, quàm in dubiis frustrari.

§ V. Tantùm igitur abest, ut cum Historiâ familiam in-
eat hæc narratio, ut potius à *magicâ* ceu vocant *Romanquâ*, ne
latum quidem ungvem discedat. Fallor an cum *Schildensium*
futilibus, quæ circumferuntur neniis eodem laborat fato: uti
enim fabulam penitus non sapiunt omnia; sed ex republicâ
sive hoc nomine sive alio celebri, olim desumpta in magnum
nunc facetiarum figmentorumque pondus confluxerunt: ita
hæc de Fausto commemoratio exiguiis orta initiis, ut seculum
istud fabularum fertile erat, tanta ubique sumsit incrementa,
ut magnam hic miremur sylvam, vitiosis aliorum frondibus
auctam. Plura extant hujus farinae scripta, vel in trivio non
ignota, ad quæ nostrum hunc *Apologum* eodem quod ajunt,
cubito posses dimetiri.

§ VI. De Vita igitur Fausti non est, quod dubitetur am-
plius accedentibus, quæ supra exposui, testimoniis; Nunc æ-
tatem, quâ innotuit, annumque vitæ designare convenit. *Wie-*
nus enim, quem ut comperta narrantem auscultare fas est,

C 3

pau-

cos annos ante quadragesimum superioris seculi decernit: (*Loc. cit. p. 141.* & sic quidem *Delrioni (l. c.)* subscribere jubet, qui *Agrippam* atque *Faustum* *συνχεόμης* vocat; Anno quippe 39. & quod excedit *Agrippæ* nomen orbi maximè innotuisse constat.

§. VII. Ex *Manlio* autem colligitur, *Faustum* eodem tempore fuisse infamem, quo *Pontificis* injuriam ulturus *Italiam* perdomuit *Cæsar*, inquit enim: *Vanè gloriabatur de se omnes victorias, quas habuerunt Cæsariani exercitus in Italiâ, esse partas perisum suâ magiâ.* (*Collect. p. 39.*) id quod *Thuano* *Judice (L. 1. p. 10.)* in *Ann. 1427.* decurrit, adeoque perspicuè coincidit cum *Johannis Elect. Sax. Regimine*, qui mandato quòdam promulgato erronem hunc *Saxoniz* finibus dicitur prohibuisse (*vid. Hondorff. l. c.*) Neque parum lucis affert *Vagantium Scholasticorum* ætas, quos eodem tempore evanuisse luculenter ostendit *Cl. Dn Thomasius* *Disp. alleg. §. 112.* Sic igitur *Faustus*, utut natales ejus certo *Anno-*rum numero adstringi nequeant, ex indiciis tamen quantum colligo, circa initium superioris seculi vagari cœpit, ejusque temporis non exiguum spatium, quo exercuit præstigias, videtur attingisse.

§. VIII. Adeò quidem obscuram satis vitam transegit præstigiator, futurus longè obscurior, nisi in scenam toties atque *Theatrum Tragicum* fuisset productus. Ceterum nihil commercii cum *Fausto Wittebergam* habuisse, sed *Wirtenbergæ* illud ascribendum esse documentis quibusdam supra ostendi. Si quis tamen publicam famam obtendat, quæ non semper vana esse creditur; hanc insuper exorti rumoris occasionem accipiat. Nimirum cum superioris belli, quod *tricennale* vocant, tempestas, in nostris quoque terris ingrueret; nihil non tentabat incolla, quò hostium sævitiam vel propellere, vel evitare saltem posset. Prætor igitur pagi, quem *Albis* hic alluit & *Bradæ* nomen habet, militi invadenti persuadere conatus est, ædes suas horrendâ *Fausti* morte esse notabiles, ostensoque pariete, bovis forte cruore tincto metum in vasoribus, quandoque fugam incussit. Ita vanissimus etiam rumor, si veri speciem habet, ad posteros transfertur.

§. IX.

§. IX. Sanè non potuit divinæ lucis qui tunc oriebatur splendor, tam scelestam stygiarum artium caliginem non discutuisse; nec defecit severioris disciplinæ rigor, qui tantum abest, ut ejusmodi scelus permiserit, ut potius lævissima quæque delicta graviter sit detestatus. (*Vid. Scripta Wittenberg. Tom. 1. passim.*) Referunt facti multa magorum undique repertorum nomina: nihil in hac patriâ notarunt, atro carbone pingendum. Neque dissimulo, quod ex *Beutingero* repetit *Meigerus* (*Nucl. Hist. lib. 5. c. 32.*) quamvis illud dubiæ perquam sit fidei. Colluvies enim hominum Magicorum hanc aliquando *Wittenbergam* dicitur accolluisse, qui venenô quôdam pulverulento prata camposque viciniores infecerint; unde postea ingens pecudum insecuta clades: Sed sceleris convicti omnes, quod meruere, corporis supplicium sustinuerunt.

§. X. Denique infelicem Præstigiatoris obitum quod spectat, de illô veri non dissimilia pronunciat *Conr. Dietericus* (*in Concion. XVI. ad Eccles. p. 237.*) qui vel ideo majoris æstimandus est fidei, quod Svevicâ ipse terra oriundus, non potuit patriæ suæ res gestas non calluisse. Ipsa igitur *Kundlinga*, quam Fausti natale oppidum supra diximus, Præstigiatores hunc, elisâ, ut referunt cervice vidit extinctum; id quod *Manlius*, Suevus idem ac conterraneus testatur; nec discedunt hinc *Wierus l. c.* & *Camerarius*, qui, mortem ejus descripruri, quando ad pagum ducatus *Wittenbergensis* provocant, non nisi *Kundlingam* sive pagum sive oppidum judicantur innotuisse.

§. XII. Sed ista quidem nemini paulo cordatiori imponere possunt; nisi hoc saltem in Physicorum palæstra litem moverit, an Dæmonis cujusdam vi atque sævitiâ trucidari homo, dirissimisque modis perimi possit. Equidem non parum turbant circulos nostros recentiorum nonnulli, qui Dæmonum operationes expositari, tantum non ad Sadducæorum, Atheorumque dogmata dilabuntur, cum omnia diaboli tentamina, omnesque apparitiones & Spectra suaviter imminuant, & ceu mericulosæ superstitionis phantasmata explodant. In quibus familiam quondam duxit *Reginaldus Scot*, Nobilis quidam Anglus, qui præterquam

quam quod Diaboli vim nihili fecit, Magiæ quoque crimen aperte inficiatus, mirabiles ejus *Effectus* vel ad Melancholiam, aliosque animi morbos, vel ad artem & agilitatem hominum figmentis & præstigiis suis illudentium, vel ad stolidas *imaginatio- nes* retulit; cujus tamen liber in Anglia omnium oculis sublatus est, atque combustus.

§. XII. Sed in hoc campo neque feritur mihi, neque metitur, cum ex diviniis, sobriaque sapientia istud sit discutiendum. Neque verò non exemplis, quæ probatoris fidei auctores subministrant, animus potest confirmari; quo quidem nomine de *Peuteri* juxta ac *Bodini* eruditissimis commentariis mihi gratulor, ubi tamen miranda Satanae facta memoriae prodita sunt ut in stuporem rapere non tantum, sed convincere vel pertinacissimum posse videantur. Verum, ne ultra septem, quod ajunt, transiliam, pedem sisto; cetera iis relicturus, qui penitentiorem ejus rei notitiam sibi pollicentur. Mihi verò id curæ fuit ne à via publica deflecterem, nec per latebras quasi traberem angvem, nisi exiret nitidior. Multa sponte mea præmissa sunt; plurima, vel maximè sollicitum fugerunt. Sed non merebatur homo in fœdiore nebula versatus, ut clarior hic eluceret.

TANTUM!



Infaustum Faustum, vera est si fabula, fiftis.
Eveniant studiis omnia fausta tuis.

CHRISTIANUS Nöbrensee /
P. P.



Leucoreis, Faustus, qui nunquam vixit Athenis,
Nunc se Leucoream contulit in cathedram.

P R Æ S E S.

Wittenberg, Diss., 1693

ULB Halle
003 586 286



3


L

Sb.

V017







VIII.
 V. *W 10 8*
 2.3
 9

TORICA

TO

TORE,

VCOREA

ITTUNT

ORG:

Kirchner //

L. C.

M. DC. XCIII.